

Et Consensu
AMPLISS. FACULT: PHILOSOPHICÆ,
SPECIMEN hoc ACADEMICUM,
De
PROCESSU
COGNITIONIS
HUMANÆ,


SUB PRÆSIDIO
VIRI CELEBERRIMI,
M. GABRIELIS
JUSLENI,

Log. & Metaph. in Acad. ad Aorant
Professoris Regii & Ord.

Publice honorum censura modeste subijcit

DAVID PETREJUS,

In Audit. Majori, die 27 Junii, 1703.



Exc. JO. WALL,

1977

In
S.^M R.^M M.^M

Summè Fido Viro,

REVERENDISSIMO PATRI in CHRISTO
ac DOMINO,

DN. JOHANNI
GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI
Famigeratissimo,

EPISCOPO Diœcesios Aboënsis
Eminentissimo,

'Acad. ibid. PRO-CANCELLARIO
Amplissimo,

Nec non

Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI
Gravissimo,

MÆCENATI & PATRONO
meo Maximo.

ANNOS MULTOS & UNDIQVAQVE
FELICES !

Reverendissime in CHRISTO

PATER.



*A*vor Vultus Tui Summus, Reverendissime PATER, qui me fortunâ & spe destitutum crexit in fiduciam, fore, ut aliquando gratiâ & benignitate Reverendiss: Patris mitiores vires esset expectare, tacito consensu mihi injungere videbatur, ut studiorum meorum quaecunque darem specimen; Cui, ut ut levissimo, celeberrimum nomen Reverendissimi Patris praefigendo, in Reverendissimam Tuam Paternitatem devotissimam meam mentem declarandam, putavi. Sed quoties tenuitatem virium, ejusque manifestum indicem, hunc nempe immaturum ingenioli mei, quod certe subactius materia requisivisset, partum secreta a stimulatione pensitabam, rubore suffusus propositum damnavi, veritus ne prolix audacia chartae indulgentiam

Re.

Reverendiss: Paternitatis Tuæ fatigares
Hesitantis inter spem & metum subibat ta-
men animum memoria favoris Reveren-
dissimi Patris, in literarum amatores nun-
quam satis celebrandi, qui non absimilibus
fortuna ludebris expositi, mihi tamen do-
cumento sunt, non passuram Reverendissi-
mam Tuam Paternitatem omnis me Spei
irritum abire, quam totam, post Summum
Numen, in Reverendissimo Patre depo-
sui. Placida ergo excipe fronte, Reveren-
dissime Pater, qualescunque has Musæ
primitias, quas fors aspera, nunquam non
rei literariæ moram injiciens, pleniore de-
negavit, ulterioreque patrocinio faventissi-
mè bea.

Reverer. PATERN. TUÆ

*Supplicem servum & hu-
milimum*

David Petrejum.

Amplissimo & Consulissimo Domino,

DN. HENRICO
JOHANSON

In Territoriis Wirmoënsi & Ma-
schoënsi Judici territoriali
æqvissimo.

Nec non

Perquam Reverendo & Clarissimo,

DN. BENEDICTO
MACROLANDRO,

Ecclesiarum, quæ DEO in Pojo
& Etenis colliguntur, Pastori
optimè merito.

Promotoribus & Benefactoribus
omni veneratione animi
suspiciendis.

Successus Prosperrimos!

Vos estis, Ampliss. & Perquam Revere
Domini, qui mihi ceterisq^{ue} quos praema-
turus obitus Parentum meorum non mini-
ma affecit clade, quobis beneficiorum genere
obviam iustis. Quae ego quanti facere de-
beam, vix ipsi mihi conscirus sum, ne dum
ut remunerari queam. Cupido tamen in-
cessit animo, quaque ratione ostendendi
nunquam ex animo meo exoletum iri tot in
vne meritorum vestrorum memoriam. Hanc
autem fidem meam liberandi cum nihil mihi
praeter voluntatem suppetat, ejusdem levis-
simum signum, praesentem inculti ingenii for-
zum sic, quaeso, boni consulatis, ut benedo-
lentiam vestram neque in posterum clau-
dicare faciatis. Ego, dum superstes
fuero, de mea erga Ampliss. & Perquam
Rever. Nomina vestra observantiam nun-
quam remittam, sed eandem, cum calido
pro perenni vestra incolumitate suspirio, ad
extremum usque continuabo

Ampliss. & Perquam Reverend.
Dignitatum Vestrarum

Obsequiosus Cultor
David Petrejus.

P R Æ F A T I O.



anta jam refertus est orbis litera-
tus monumentorum ab eruditis vi-
ris relictorum copia, ut Logicorum sal-
tem & Oratorum Systematibus non
iniquè dixerit quidam, citius Dae-
nubium ponte jungi posse; quam si omninum re-
gionum congererentur sylvæ & saxa: Quod san-
tis superque arguit, in id jam fastigium eve-
ctas esse artes, ut omnibus seculis, quæ inde
à principio rerum absere, nostrum hoc facile
palmam eripiat. Verum enimvero, quicumque
dapes has mediocriter tantum libaverit, non
potest quidem non mirari excellentes illas men-
tis humanæ dotes, quarum simulacra docto-
rum scriptis exprimuntur, quasque, ceu te-
nues reliquias amissæ integritatis primæ,
in animis nostris hæere, voluit infinita mi-
sericordia; interim deprehendit juxta, intelle-
ctum tamen humanum finitum esse, & in mul-
tis præsertim difficilioribus indagandis ar-
dus satis habere limites, ad quæ æque, se ha-
bet αε τὰ τῶν προτερίων ὄμματα, πρὸς τὸ
Φέγγος μετ' ἡμέραν, Teste Philosopho, & Me-
taphys: c. 1. Hinc non parum se delusos exper-
si sunt multi, qui dubia, doctissimorum vi-
rorum disquisitionibus diu vexata, altiore
mentis indagine perpendentes ac invictis

suis (ut putabant) rationibus freti, se tam-
dem acu rem tetigisse, persuasi sunt; donec
sententia eorum ab alio superveniente examinata,
et, firmiteribus argumentis erroris convicta est.
Quod si nunquam super aliqua questione pu-
gnantia auctorum invenire est judicia, utique
in quã maxima divortia abierunt in tradendo
modo cognoscendi humano. *Quæ res sicut
me instituto scribendi deterere debuisset, ita a
Te L.B. audaciæ incusari mihi videor, quod
tam difficilem materiam & elaborandam sus-
cipere non dubitaverim, & jam publici facere
juris perseverem. Equidem ipse ego opus ar-
dui laboris aggressus libens confiteor tenui-
tatem meam; unde tam vanam non foveo
persuasionem, ut rem tot tantisque difficulta-
tum spinis implicatam, sufficienter illustratum
ire mihi præsumserim, cum sic effugere non pos-
sem, quin mihi occinatur illud Poëtæ:*

- - - - - amphora caput.

Instituti, currente rota cur urceus exit: Hor: de
art: Poët: v: 21. Imo tantum abest ut vel ipsi mi-
hi hæc probentur, ut lecta & relecta sordescere
magis magisque incipiant. Unica mihi in-
tentio tenellum exercere ingenium; si qua
autem occurrunt (quod futurum non ignoro)
subtilitates materiae presentis, quarum exposi-
tionem minus responderint vires, tua, mi candide
L, virtute dignum puta favere, nullius non equi
censoris judiciorum patiens. Sic suspicabimur.

Non

Non multam ponendam duco operam in enucleanda derivatione vocum, quæ præsentis discursui nomen dederunt, ne delicatioribus ingeniis nauseam moveam: Quid enim sibi in hoc negotio velint, cuius evidens est; innuit scilicet vocabulum *humane* titulo additum, removendam hinc esse *cognitionem* 1. *Intuitivam*, in solum DEUM cadentem; nec non 2. eam quæ *intelligentiorum* est propria; etiam 3. merè *sensitivam* brutorum & denique 4. illam quam *vegetantibus* quidam tribuunt. Quomodo nobis consideranda relinquatur cognitio, quatenus soli *homini* competit. Hæc vero, cum pro *objecto* agnoscat, vel res supra naturales & divinas, earumque mysteria, unde *revelata* audit: vel versetur circa scientias & artes magicas, ludificationibus Satanæ, ad fallendos mortales nunquam non parati, phantasiæ impiorum ingestas, quæ *diabolica* merito dicenda: vel intenta sit in ea, quæ humanis viribus sciri possunt & ex lumine naturæ innotescunt, quæ *naturalis* appellari sivebit; omissis prioribus: *illa* quia arcanorum divinorum intimam profunditatem magis credimus, quam intelligimus; *ista*, quæ homine Christiano indigna, adeoque ad authorem suum in orbem

releganda: jam ultimam præsentis nostræ curæ facimus. Per *processum* nihil aliud indigitatum volumus, quam Methodum eorum, quæ in cognitione nostra ordinæ naturæ se invicem consequuntur.

II. Vix reperiri hoc tempore, quo ad summam artes & scientiæ surrexerunt, quemquam autumo, qui omnem plane cognitionem (nisi ignorantia affectata & sophistica malitia labore) mortalibus denegare audeat; reclamante experientia & doctorum monumentis. *Socrati* quidem & *Platoni* tribuitur dubitatio, quare priorem dixit Eusebius *periculum de omni re dubitandi*. 2. præp. Evang. c. 1. Ipsos autem nihil penitus affirmasse vel negasse, sed ubique in dubitatione subsistisse; graviolem esse sententiam, quam ut in tantos viros cadere possit, inducor; quod vero Socratem conquestum perhibent, *se nihil scire nisi hoc unum quod nihil sciret*, id modestiæ ejus potius quam ignorantæ adscribendum; quam etiam Pythagoræ imperasse certum est, cum se non σοφόν sed φιλόσοφον dici velle significavit, Vid. Cic. 5. Tusc: alio ergo instituto ipsos dubitationem admisisse credendum est, quam ut nihil sciri posse asserendum putarent. De *Scepticis* vero Philosophis memoriæ proditum est, eos Pyrrhonem secutos, sectæ hujus authorem, (na-

(unde Pyrrhonicæ appellati) nihil decernere
 (ut habet *Gellius l. ii. c. 5.*) nihilque statuere
 voluisse; sed ex data opera sibi persuasum ha-
 buisse omnia esse ἀκατάληπτα; imo si La-
 Ætius credimus, se ne id quidem scire, quod
 nihil scirent, falsos esse. Sed horum senten-
 tiæ opponi possunt hæc Aristotelis: *Non oportet
 esse omne problema, aut omnem thesin in questi-
 onem revocare, sed eam de qua dubitare possit
 quispiam, egens rationis, non ratione aut sensus,*
l. i. Top. c. ii. Tex. 9. Unde cuius dudum ste-
 tit sententia: multa nobis explorata esse & cer-
 ta: plusque scire homini dedisse DEUM, quam
 ut de omnibus dubitare debeat. Et quomo-
 do tot nobis utilitates, ex re aliqua incerta
 affluere possent? Dudum namque fidem ac-
 cepit, Philosophiam veram reddere homines
 ad magna officia obeunda, vitamque cum lau-
 de transigendam idoneos. Unde Ciceroni *divi-
 narum humanarumque rerum scientia* audit;
illa quia plurimam mentis ἀγνοιαν in theo-
 reticis: *hæc* quia voluntatis ἀταξίαν in pra-
 cticis tollit, imo hoc illud est medium, quo
 multa per lapsum amissa restituere conatur
 mens nostra. Dicitis veritatem quoque con-
 ciliare potest, quod videamus in illis, quibus
 præcordia de meliori luto finxit Titan, latere
 aliquid, quod instar calcæis stimulet ad ex-
 plo-

plorandam profunditatem veritatis, ex interioribus naturæ eruendæ: ut enim omnia alia, ita & intellectus sua naturâ rudis & impolitus, conservationem atque perfectionem sui appetit. De quo Cicero: *Natura homini ingeneravit cupiditatem veri inveniendi*: Hoc autem sciendi desiderium frustra semet exererat, nisi aliqua daretur, ad quam tendit, cognitio, secundum illud Ovidii: *Ignoti nulla cupido*. Evidentissime autem assertionem nostram confirmat principiorum primorum certitudo, quorum *theoretica* tantæ sunt veritatis, ut ea negantis errorem non verbis, sed verberibus resundendum esse, dicat Calov: *στοικεῖς γνωσῆολογ* p. m. 24. *præctica* vero, quippe quæ cordibus nostris stylo ferreo inscripta, à maleficis etiam invitis assensum extorquent. Hisce ergo cum cognitio nostra validissime superstrui possit, eandem (sicut illa) negantem contra disputandum utique non est, quoniam hic talis hoc pacto propria etiam dicta falsitatis arguit.

III. Definitionem cognitionis exhibituri, dicimus ipsam esse *representamen rei in intellectu*; representare vero ut propriè imago num est, ita & intellectum non res ipsa, sed imago seu idea ejus contemplandæ ingreditur, ut infra patebit. Hæ autem idæ cui fonti ortum debeant, num intra intellectum

nobiscum connascantur, vel potius extrinsecus
 adveniant, & si hoc, quibus vehiculis ad men-
 tem deferantur, præcognoscere, cum non pa-
 rum lucis postea dicendis fœneraturum arbi-
 tremur, pauca ad hanc rem pertinentia præ-
 mittere lubet. Quæ fuerit mens Platonis de
 origine idearum, monstrat tabula ejus exarata,
 cui similem animam nostram esse putavit, &
 cui omnia à natura inscripta, adeoque to-
 tam nostram cognitionem connatam esse
 voluit: Quæ vero in vita addiscere videmur,
 ea non adventitia esse, sed intellectum externo
 objecto excitatum, eadem reminisci docuit,
in phæd. & Men. Hanc sententiam non sepultam
 modo, sed plane explosam cupiebat *Aristoteles*
 qui evitata charybdi Platonis, in Scyllam inci-
 dit, dum *l. 3 de anim: c. 4. t. 14.* nullas planè no-
 vitias cum hominè connasci, sed omnes ex sensu-
 bus dependere, fervidè conatus est probare; undè
 enatum Axioma: *Nihil est in intellectu, quod
 non prius existit in sensu:* quare pro tabula
 sua nuda, cui discendo inscribimus, & inscri-
 bendo discimus, ceu pro aris & focis pugnat.
 Diversum ab his judicant, qui mediam quans-
 dam incedunt viam, asserentes intellectui no-
 stro nec plane nihil, nec tamen omnia scire,
 à natura datum esse, cum dentur quædam
κοινὰ ἐννοιαί, vel principia generalia eaque pri-

prima, quæ semina sunt scientiarum, non studio & labore comparata, sed à naturâ impressa; reliqua vero quæ ex institutione, & sensuum observatione haurimus, extrinsecus accedere.

IV. In tanta varietate sententiarum, quas prout ingenio erant diverso, diversas fovērunt authores iique eruditissimi, tenues periclitari vires meas, mihi forte temeritati vertetur. Hisce tamen difficultatibus, si non ut debemus saltem ut quimus, eluctari annitemur. Platonis opinioni, dudum refutatæ, favere non possumus; cum propria experientia abunde edocti simus, ea, quæ objiciuntur, non nudam creare reminiscētiā, sed novam plane formare cognitionem, quam nunquam antea recordari possumus nos hausisse, *Mej. gnostol. p. 124.* Flueret autem ex ejusmodi positione tale consequens: aut omnes eodem modo de rebus judicaturos, aut pugnantes sententias homini connatas dici oportere, cum non raro quidam, damnatâ sententiâ, quam diu pro verâ habuerunt, aliam eamque contrariam, ceu verisimiliorem amplexi sint. Sed illud experientię adversatur, hoc ἄνωγον est. Videtur autem Platoni propterea hoc adserti placuisse, quod persuasum habuit, animas nostras, non à parentibus generando propagari, sed desertis corporibus prioribus, aliis novis in-

fun-

fundi, atque sic ideas, dudum animæ im-
 pressas, etiam in posterioribus receptaculis
 retineri. Neque tamen in castra *Aristotelis*
 transimus, nihil natura nobis notum esse, con-
 zendentis, cum quarundam rerum scientiam
 etiam *καὶ τὸ ἐξ ἡμῶν* nobis connasci certum sit
 quod mox adstruemus. In illorum ergo par-
 tes haud ægrè propendemus, qui nec nudæ
 tabulæ, nec exaratae similem esse intellectum
 docent, sed duplicis notitiæ capacem, nempe
 tum *connata*, tum *acquisita*. *Connata* evin-
 cunt principia prima, partim theoretica, par-
 tim practica, menti nostræ infixæ, alias *πρῶται*
Ἰμβολαὶ & primianini conceptus dicta: quæ in-
 ficiari aded non poterit quisquam, ut potius
 ipsis auditis, statim sine prævia demonstratio-
 ne aut probatione, non possit non præbere as-
 sensum; *Qualia: Totum est majus sua parte:*
Quodlibet est, aut non est, &c. Conscientiæ et-
 jam testimonio convicti homines, dari prin-
 cipia rē ipsa fatentur, dum stimulos ejus ob-
 literare vel repellere, ut ut maxime velint,
 nullatenus possunt. *Acquisita* autem cog-
 nitio, multo rationis usu, labore, & inductio-
 nē, multisque experimentis; ab ineunte ætate,
 sensuum ministerio roboratis, comparatur. Et
 intellectus quidem seu ratio, in dijudicandis
 rebus, utramque facit paginam, sed ansā à sen-

suam observationibus arreptâ. Ubi observandum, quod non uno modo omnia objecta in sensus incurrere velint authores, sed quædam *directe & per se*, quædam vero *indirecte, per aliud & mediate*; hinc, quicquid in intellectu est, puta per notitias acquisitas, id prius aliquo ex dictis modo, sive *directe* sive *indirecte*, sensibus non potuisse non objici contendunt.

V. His sic expositis, id, quod primo intuitu discursus hinc præ se ferre visus est, aggrediemur, & breviter cognitionis nostræ processum adumbrabimus, in quantum à sensibus originem trahit. De modo ergo *sentiendi*, imprimis pauca notaturi, deprehendimus Authores, in ipso tradendo, vias insistere toto cælo distantes, quas leviter saltem tetigisse juvabit. Objectum sensibile in sensatione ab organo sensus externi recipi, pro rato habetur: Cum vero ipsa res τὸ εἶναι ἰσχυρότερη realiter ingredi non possit (qui enim maxima turris in tantillum oculum immitti posset?) Quæritur, quid sit, quod rem sensatam ad organum suum deferat? quidve perceptionem intra sensorium efficiat? De hoc autem inter omnes non convenit. Unde *quidam*, ut huic difficultati occurratur, statuunt ex objectis emanare species *intentionales*, quæ originaliter hærent in objectis & continuativè sunt extra illud (videbis

Kipp: L. S. C. 4. p. 325.) Hæ species sensibiles in organum receptæ, & ad sensorium primum (quod nullum aliud præter cerebrum esse potest) delatæ, rem sensatam potentia cognoscenti sistunt. Distingvunt autem species *merè intentionales*, quæ ab omni materia separatæ sunt, & in visu obtinent, à *realibus* cum materia aliqua permixtis, quæ reliquorum sensuum externorum sunt. *Alii* vero, & quidem posterioris ævi Philosophi, omnem sensationem per *motum localem* explicant, tenentes objecta, impressionem quandam realem, in externorum sensuum organis efficere, quæ spiritus nervorum fibris contentos percellat, eamque spirituum commotionem ad illam rationis officinam, quæ in cerebro instruitur, transmitti, ubi anima impressionem ab objecto factam percipiat, adeoque sensationem in exterioribus organis inchoari, sed in ipso cerebro perfici. *Conf: Phil V. & N. Burg: Tom: 2. part. Phys: 3. l. 3. J. B. du Hamel in de corp. anim: l. 1. c. 2.*

VI. Rationibus prægnantibus satisque validis, & hinc & illinc acerrimè pugnatur, re-
pertis utrique sententiæ suis defensoribus, & subtilibus & oculatis; his in certamine si me
immisceam, vereor, ne præmium audaciæ fe-

ram illud: *Argutos interstrepit anser olores*,
Virg. Eccl. 9. v. 36. Brevibus tamen in apri-
 eum proferendum est, quomodo singulos sen-
 sus exponant secundæ sententiæ assertores;
 (Nam prior ex antea dictis intelligi potest,
 plura vero qui expetit, authorem ibidem cita-
 tum adeat) libero interim, per nos, cuivis de
 hac re iudicio relicto. *Tactum* fieri dicunt,
 cum objecta *tactilia* movent quæcumque par-
 tem corporis, qui motus statim per spiritus
 animales ad commune sensorium defertur. *Oro-*
ganum vero hujus sensus esse posse, aut to-
 tam substantiam cutis, quam plurimis nervis
 consoliditam, aut corpora illa seu glandulas
 conglobatas, inter cutem & cuticulam inter-
 jectas, quas propagines esse nervorum & ten-
 dinum à cerebro provenientes, celeberrimo-
 rum anatomicorum industria opè Microscopii
 detexit: In his exuberantes *spiritus* commoti-
 onem ab objecto sensili factam, ad commune
 sensorium transmittunt. *Gustus* ipsis nihil al-
 liud est, quam species quædam tactus, quod
 probare conantur ex *organo* ejus, linguâ,
 quæ musculus est, innumeris fibris instructus,
 quâ in re cum sensatio tactus convenit. Utri-
 usque etiam objectum organo admoveri de-
 bet: ostenduntur hic variæ in substantia lin-
 guæ pori, qui cum nervis ad cerebrum pro-

sensus coeunt: hos poros particulae, e corpore lapido prodeunt, intrant, quae quo magis minusve cum poris conveniunt, eo vel dulciorem vel acriorem dant saporem. Inter gustum & *olfactum* maxima intercedit cognatio, unde horum sensuum organa eadem esse quidam statuere, quia unius sensorio laeso etiam alterius laeditur: Hujus objecta, *odores* nempe, cum substantiali quodam effluxu esse conjunctos volunt, quia contrario distillantur vento, secundo vero advehuntur: Effluvia enim subtilissima e corporibus odoriferis promanantia, membranam percellunt, ubi fibrillae nervae olfactoriae eadem excipiunt, & per os cribiforme ad sensorium commune deducunt: Excipiunt sensus rationales, *visus* scilicet & *auditus*, quos *internuncios mentis ducesque ad veritatem*, haud incongrue dixit Plato; (In *his*, ^{quidem} quod observasse juvat, *Tactus* inter reliquos excellit, tum quia, si neotericis credimus, nullus datur sensus, qui non praesupponit tactum, tum quod caeteris, si quando illos falli contingat, opem ferat:) cum enim nec fors omnium, nec fragilitas humana diem fati accelerans, cuius permittant rerum scientiam semper propria experientia confirmare; aurium usum ad perceptionem eorum, quae ab aliis traduntur, maxime necessarium esse

esse constat, vivamque vocem per aures transmissam, fortius imprimere, quam ex scriptura haustam. Verum, ut ut enunciata & experimenta virorum celebrium assensum quidem mereantur, non tamen tantam fidem & auctoritatem ipsis tribuendam esse, monent docti, ut in iis solis acquiescat, qui sapientiæ operam navat; sed, si potest, in veritatem eorum quæ traduntur, ipse sedulo inquireat, suæque potius credat, quam aliorum experientie, unde patet necessitas oculorum. Sed ad institutum revertendum. Sonum in motu aeris tremulo, seu concussione, consistere in confesso est, qui ad *auditus* organum delatus, per nervum auditorium ad cerebrum defertur. Voces autem ex aëre in pulmonibus existente oriuntur; cumque is utramque laryngis membranam celeriter ferit, hæc vero aërem vicissim verberat, fit sonus, qui opè organorum variè formatus, voces reddit articulas, ut conceptus nostros aliis communicare possimus. *Visus* autem rationem explicaturò, major occurrit difficultas. Postquam sagaciores nostri ævi Philosophi vitrearum & Crystallinarum lentium effectus, obscuræque cameræ indolem detexerunt, omnes in eam sententiam manibus pedibusque iverunt, radios per pa-
tu-

tulum uveæ foramen intromissos, rerum foris existentium imagines, in opposita subalbicante retinæ membranâ, vel, ut aliis placet, in ipsa choroidæ depingere; non secus ac cameram obscuram intrantes, si parvo foramini parietis indatur vitrum orbiculare, in linteamento albo, è regione foraminis intra cameram expanso, omnia quæ extrinsecus sunt & geruntur, adeo perfectâ figurâ suisque coloribus depicta spectant, ut hæc excellentissimi pictoris artem illudant. Has imagines, cum alii *species esse intentionales* velint, nuperiores *ætherea substantia* impressionis effectum esse contendunt: lumini vero ipsas originem debere nullus ambigit. At, unde illa radiis vel lumini vis insit, ut objecti colores, figuram, distantiam etiam & motum, tam exacte representet & exprimat, res est, quæ sicut suspensos nos detinet, ita eadem cognoscendi desiderium auget.

VII. Sensus omnes in cerebro perfici supra diximus §. 5. quia ibi animam sedem suam non postremam fixisse, persuasum habetur. Sic speciem visibilem per nervum opticum eo transmitti necessum est, ubi animam sentientem, hætenus indifferenter se habentem ad agendum, determinare possit. Nec minus suos habent nervos reliqui sensus exteriores, qui
 .spie

spirituum animalium sunt vehicula, & idcirco
 objectorum externorum communicant *sensui*
communi, in ea cerebri parte, quæ nervorum
 origini est proxima, residenti; hic anima pri-
 mum res percipit & inter easdem discernit.
 Inde progreditur species illa ad interiora ce-
 rebri, *imaginationi* destinata: ubi obiecti i-
 mago clarius, non præsentis tantum, sed et-
 jam absentis, sistitur, jamque phantasma
 audit. Tribuenda est phantasiæ aliqua rei
 cognitio, licet de eadem aliquid certi pronun-
 ciare, ipsius non sit officium. Quod compro-
 bat admiranda ejusdem in brutis excellentia,
 quæ in homine ob prævalentiam facultatis su-
 perioris obscuratur. Ubi vero vestigia in ce-
 rebro formavit species illa, in quibus aliquam-
 diu reservatur, *reminiscentia* sive *memoria*
 dicitur, quæ imaginativæ ministra est, quia spe-
 cies sibi ab hac creditas fideliter recondit, &
 cum opus fuerit reddit.

VIII. Naturam sensuum, quatenus eorum
 beneficio cognitio nostra non minimam
 partem promovetur, plane omittere inta-
 ctam, nec potuimus, nec debuimus: Cum
 autem τὸ ὄν, quod sensibus circa exteriora
 rei occupatis patet, qualis qualis perceptio
 aviditati noscendi minus satisfaciat; ulte-
 rius disquirendum est, quodnam sit principium

pium intima rei naturæ adyta penetrans, &
 tò diòñ demonstrans? Id intellectus est mu-
 nus, cujus fulgore superveniente, adeo illud
 stratur phantasma a sensibus productum, ut
 jam perspicuè & distinctè objectum repræsen-
 tare incipiat, nec amplius sensibilis, sed *intelle-*
ligibilis vocitetur species. In ipso vero intel-
 ligendi actu, dupliciter se habet intellectus, &
 activè & passive; unde orta distinctio ejus in
agentem & patientem (licet unus idemque
 sit, nec hic ab illo differat realiter) *Actio* eo-
 jusdem est, cum phantasma illud lumine suo
 clarum reddit, & quod potentia intelligibile
 erat, actu tale efficit: *Passio* vero, quatenus
 imaginem illam, sibi ab agente intellectu im-
 pressam, recipit & dijudicat. Varias præterea
 appellationes subit species illa: Scaligero *pons*
 dicitur, quia per illam ceu pontem intellectus
 sese infert in rem, & hæc vicissim ei sistitur:
Aristoteles eĩdos vocavit *l. 3. de animac. 4. t. 8.*
 unde Latinis *idea* dici sivevit, sive imago, quæ
 ab objecto repræsentato, tanquam a causa ex-
 emplari dependere debet. Adhæc a multis
conceptus audit, cujus vocis impositioni an-
 sam dedit convenientia ideæ, cum foetu in
 utero concepto. (*videfis From. Metaph. p. 34.*)
 Dispescitur vero conceptus, in *objectivum &*
formalem, (*conf. l. e.*) per illum intendunt
 C ipsum

ipsum objectum, ab intellectu apprehensum; sed cum quadam relatione ad intellectum consideratum, hic vero conceptus proprie dictus est. De hujusmodi ideis & conceptibus pronunciant eruditi, illorum necessitatem tantam esse, ut *veritatem sine conceptu minime possideri* affirmant, *Mej. in gnost. p. m. 209.* Hinc Excell. Calovius *Gn. parte gen. c. 5. tolle*, inquit, *rerum ideas, & nihil intelliges.* Ut res manifesta evadat, observandum; omnia, inter quæ actio & passio intercedit invicem conjungi debere, aut *substantialiter* aut *eminenter*; Intellectus vero objectum contemplans, in idem agit, adeoque conjungatur necessum est, non *substantialiter* vel *realiter*, (res namque manet exterior, mentemque ingredi nequit) sed *eminenter* & secundum esse intentionale, i. e. per speciem vel imaginem rei. Hæc ut vera sit, requiritur (α) ut rei per omnia similis sit, ne spuria & quæ rei minus inlunt supponendo, intellectui fucum faciat. Nam *omnis conceptus, cui nihil plane responderet in re, vanus est*, ut habet axioma, apud *Mej. p. 208.* (β) ut ab ipsa re dependeat, nec enim sufficit imaginem objecto similem esse, ut ovum ovo, sed debet etiam à prototypo esse expressa. Deducuntur e dictis sequelæ ejusmodi 1. Res esse *mensuram* intellectus, non contra, cum hic, vel

vel potius idea dependeat a re, dependentia sc. objectiva. 2. *Veritatem* rerum tantummodo unam esse, non multiplicem: Est namque illa conformitas intellectus cum re, adeoque una erit quia hæc una est, & ab intellectu divino dependet: alias intellectus divinus etiam erit mutabilis, quod summæ ejus perfectioni repugnat. Num veritas Theologica Philosophicæ adversetur? instituti rationem habentes, aliis disquirendum consulto omitimus.

IX. Occupati fuimus hæctenus in monstrando ordine cognitionis nostræ, cujus primordia sensibus tribuimus. Qui cum non nisi singularia percipiant, intellectum etiam eorum capacem esse, ex antea dictis colligi potest. Accedit quod nihil præter singularia in rerum natura inveniatur; unde sæpius nominatus Author p. gn. 214: *Omne quod est, singulare est, & demptis singularibus nihil est reliquum.* Et quoniam omnem suam veritatem universalia ex singularibus consequuntur, nunquam de illis judicare possemus, nisi hæc inspiceremus, & per inductionem universales conclusiones construeremus. Frustra ergo nullam singularium cognitionem in intellectum cadere a quibusdam contenditur, cum tamen singularia & universalia inter se con-

ferre, atque inter eadem distingvere ipsi non repugnet, quod facere non posset, nisi utraqve sibi nota habeat: distinctio enim præsupponit cognitionem. Discussionem eorum, quæ pro contraria sententia afferuntur, in ventilationem publicam reservamus.

X. Quamvis mentem nostram, a cognitione singularium minimè abhorrere, adducta comprobent argumenta; probè tamen etiam hic videndum *quid valeant humeri, quid ferre recusent*: Ingenuè namque fatendum, quod omnia in *singulari* cognoscere, & cuncta individua quoad singulas proprietates sibi familiaria reddere, plus omnino involvat, quam fors humana patiatur. Intellectus noster enim, ut in insatiabilis sit & omnia penetrare gestiat, finitus tamen est, ideoque omnia individua, quippe quæ infinita, ne enumerare quidem potis est, nedum cognoscere; unde non nisi in ens infinitum ejusmodi sapientiam cadere certum est. Ut ergo desiderio nostro aliquo modo fiat satis, universales formandi sunt conceptus, & ex rerum convenientia conclusiones eliciendæ, quæ id de omnibus valere monstrant, quod de paucis verum esse ipsi deprehendimus. Postquam enim rei alicujus singularis plenam hausimus notitiam, & quæ circa eandem observata sunt, memoria diligenti-

ligenter commendavimus, si sæpius eodem modo contingere animadvertimus, cognitio in nobis generatur experimentalis; quæ certiores nos reddit, sic, non vero aliter illam rem comparatam esse, quia tale quid semper proprie & per se, nunquam vero per accidens circa eam factum esse notavimus: Cumque nusquam observatum est contrarium, jam per inductionem deduci potest propositio universalis, quæ idem in omnibus verum esse infert, etiam in iis, quæ sensuum experientiæ subjici non poterant; De similibus enim similiter judicandum.

XI. Intellectus noster naturâ suâ planè indeterminatus est ad hoc vel illud objectum cognoscendum; res itidem variæ sunt, & variè atque sine ordine sese nobis contemplandas offerunt, quæ in causa sunt, ut objecta accurate & distincte menti (omnem confusioem evitare nitenti) representari non possint. Quo ergo ordinatè procedatur, incipiendum à facilioribus & notioribus, atque sic pergendum ad ignotiora & difficiliora. Hic imprimis in primo cognitum inquiretur, ex quo reliqua deduci possunt: quod deprehendimus cogitando, omnes res inter se aut convenire aut discrepare. Convenientia rerum tam universalis, ut in ipsum quoque DEUM

cadat, qui, dicente Frommio Met. p. 35. *sicut sibi plane simile producere non potuit, ita nec aliquid a se omni ratione diversum efficere.* Ex tali collatione provehimur in considerationem ejus, quod communissimum est, quod nihil aliud esse potest, quam *ens*. Notissimum ergo & primo cognitum *ens* est, idque *singularizatum*, ut vult Mejerus p. gn. 141. (conf. Intell. Geilfus. p. 56.) *res enim quævis singularis ad cognoscendum proposita, omnium primo sub ratione entis, cognitione scilicet confusa, apprehenditur*, ait Thur: Met. p. 66. Hinc, quando aliquid perfectè definire vel nominare nescimus, *ens* esse dicimus. Ulterius, autem, ut quis feliciter progrediatur, advertendum, quæ omnem convenientiam admittant, quæve, vel toto genere, vel in quibusdam saltem attributis disconvenient: unde attributa quædam *propria*, quædam *communis* oriuntur. Et quia, neque *hæc* eodem semper modo ab inferioribus imbibuntur, maximè necessaria est consideratio *univocacionis* & *analogiæ*; cum univoca æqualiter pluribus tribuantur, analogæ non item, sed uni per prius, alteri vero per posterius. *Propria* autem attributa tanto majori studio eruenda, quanto ad perfectam rerum notitiam magis conferunt. Inter *hæc* etiam *positiva* melius rei naturam

insinuant, quam *negativa*; licet *negativa* a periculo errandi magis sint libera. Hinc conclusionum multitudo intellectum distrahens obviare, ut confusio errorum mater præcaveatur, & singula distincte concipiuntur, omnia homogenea, quæ de eodem formali participant, ad unum conceptum revocanda, certumque constituendum noëma, ad quod singulæ conclusiones referri possent; id nos *objectum* dicimus. Erit autem *objectum* conceptus unus, summus & universalis, & eandem cum omnibus suis membris atque objectis particularibus naturam habens, præterea a prout modis contrahentibus limitari. Hoc *objectum* in certa aliqua *disciplina* tractandum est, (*quia objectum causa discipline*) licet rem etiam citra disciplinam intelligi non repugnet; Cum tamen ea sit conditio intellectus, ut singula penetrare nequeat, plurimum promovetur cognitio nostra disciplinarum systematis, multo temporis tractu accurate constructis, quorum ope hodie, vel viva voce, vel scriptis, ad posteritatem transmittitur. Distingvuntur autem discipline *objectis*, sub proprio genuino formali consideratis (*discipline practice finem quoque prærequirunt*) hinc non obstat, quia idem *objectum* etiam in pluribus disciplinis tra-

ari possit, sed sub alio formali. Quæ omnia ut ritè observentur, providet *abstractio*: hæc in exquisita rerum cognitione utramque paginam facit, adeo ut solus ille Philosophus censendus veniat, qui benè abstrahere novit: hæc in formalem rei rationem provehimur, quam cognoscere, est ipsam possidere veritatem.

XII. Postquam pro exiguis illis, quas hæcenus ductæ lineæ satis superque prodiderunt, ingenii viribus, cognitionis humanæ cursum adumbravi, si pauca adhuc (dum velorum meditor contractionem) de principiis, veritatem conclusionum philosophicarum confirmantibus, moneam, omni operæ pretio me excidere non censeo. Sunt ea tria: *Sensus* nimirum, *Ratio* & *Scriptura*. *Sensuum* certitudinem minimè in dubium esse revocandam præcipiunt docti, modo omnia requisita ad hanc rem facientia adfuerint (*de his vid. Kipp. p. m. 324.*) quibus desideratis, aut neglectis, cognitio sensu-
alis facilè infringitur; ritè vero positis, frustra sunt, qui de errore ejus queruntur: Hinc de ipsiis Lucretius.

*Invenies primis a sensibus esse creatam
Notitiam veri, nec sensus posse refelli:*

Qui nisi sint veri, ratio quodq; falsa sit omnis.

In sensibus quoque omnis fundatur experi-

entia, quæ si negligatur, nunquam se expediet intellectus in abstrusioribus explicandis: multa namq; patefecerunt experimenta, quæ alioquin æternis, ut olim, tenebris mansissent involuta. Quod si in eorum veritatem propriis observationibus inquirere (quod nulli non in votis esse deberet) vetat aliquando fors iniquior, non tamen possunt viti cætera undiquaque doctissimi, & fidei intemeratæ nulloque mendacii crimine labefactatæ, nobis non facere fidem, dum manifestissimam eorum evidentiam infallibilibus firmant rationibus. Ingenui ergo Philosophi officio desunt, qui non tantum experimenta aliorum, quæ nunquam probarunt, pertinaciter negant, verum etiam, ne cogantur fateri vera esse, quæ palato eorum minus arrident, in posterum ea examinare recusant, cujusmodi quendam fuisse refert Sturmius in de *Autorit.* *Interp. natura c. 2. §. 1.* Quæ ad oculos testantur, errores Philosophorum, sæpe quidem ingeniorum varietati & intellectus imbecillitati originem debere, sed voluntati quoque & pertinaciæ ex parte tribuendos. Accedit præconcepta immaturæ ætatis opinio, quam quasi cum lacte materno suximus; quia anima tum corpori arctè immersa, aliter de rebus judicare nequibat, quam prout sensus ab externis rebus afficiebantur; sed accrescentibus annis,

longè diversum de iisdem iudicium ferendum esse deprehendimus. Sic pueri terram undique planam esse iudicavimus, quia in planitie constitutis in omnes plagas æqualiter excurrere videbatur: Ideoque nec induci potuerunt prisca homines, ut antipodes dari crederent. Sic hominum animos sententia inveterata occupavit, ut ne latum quidem unguem a statione sua se dimoveri patiantur. Quare adstruam etiam antea sensuum certitudinem, hoc modo limitandam censemus, ut quæ absque sufficienti examine teneri admiserit anni, in dubium revocemus, hoc est, iudicium nostrum in iis, quæ vel minimam incertitudinis suspensionem subeunt, suspendamus, donec num vera sint, exploratissimum habeamus: quo sensu dubitationem Socratis, & Platonis (quorum supra §. 2. mentio injecta:) nec non quorundam neotericorum non improbamus, cum eundem illi dubitationis finem sibi proposuerint: Nec enim dubitabant, ut semper dubitarent, quod fecerunt Sceptici, sed ut præmissis argumentorum ab utraque parte stantium examine, quod verisimilius haberi posset, eligerent: quæ nulla certior excogitari potest veri inveniendi via. Talem ergo dictis subjungimus conclusionem: Non esse permittendum sensibus de iis iudicare quæ sensuum iudicium superant.

XIII. Secundum principium *rationem* esse diximus, quæ una cum sensibus omnino in consilium est adhibenda. Hæc namque in veritate investiganda & puppis & prora est. Quicquid huic consentit, certum erit & immortæ veritatis philosophicæ, contra quicquid verè dissentit, coram tribunali rationis falsum erit. Quare non malè λόγος cum τῇ πείρᾳ, cognitionis nostræ ocelli audiunt. *Ratio sine experientia, ut navis sine rectori, fluctuat: ut vicissim experientia, cui ratio non prælucet, caeca est & fortuita, nec quicquam utile proereat.* Ph. V. J. N. Burg. *Phys. Gen. tr. 1. c. 2.* illa imprimis τὸ esse rei manifestat, quod (ut ait Cal. in Gn. p. 11.) *semper notius est causa,* quam experientia assequi non valet, quod subinnuere videtur Arist. *l. 1. Met. c. 1,* dicendo: οἱ μὲν γὰρ ἔμπειροι, τὸ ὅτι μὲν ἴσασιν τὸ διότι δ' ἔκ ἴσασιν, hæc vero rerum causas venatur. Quis sit usus *rationis* in abstractionibus disciplinarum: Quid conferat norma illa indubitata rectitudinis, a *ratione* formata, quam nomine Princ. P. insignimus, ex quibus omnes conclusiones philosophicas æstimamus, pluribus exsequi animus non est. Merito de ea pronuntiavit Thales apud Laërtium (quem fide Mejeri hic citamur) τάχιστον νῆς ἀπὸ παντὸς τρέχῃ.

Minime tamen sibi soli credat veritatis amans, utut felix suum ingenium *αυτοδιδασκων* fore polliceatur, sed quæ a pluribus rectè dicta fuerint, probe perpendat, quo eruditorum virorum calculo adjutus, se immortæ veritatis sententiam rueri, affirmare possit. Plus enim vident oculi, quam oculus. Videant ergo, ne se cunctis deridendos prostituant, qui ultra modum viribus suis freti, aut omnium aliorum opera se plane nihil indigos censent, aut, si quos consuluerint, falsa sapientia persuasi, nihil, nisi quod suo pallio involvant, pro vero recipiunt. Ut vero hi ad dextram, ita alii ad sinistram a recta deviant semita, qui certæ alieni sectæ addicti, in verba Doctoris sui, tanquam oraculum è cælo demissum, jurant; siue experientiæ & lumini naturæ congruat, siue reclamet, nihil pensi habentes, nihilque præter antiquum illud *αυτὸς ἔφα*, aliter sententiis occinentes. Verum præstantissima omnium esse videtur illa philosophandi ratio, ubi seposito omni amoris, vel odii affectu, neque Magistri opinio pertinaciter defenditur, neque adversariorum asserta contumeliosè impugnantur; sed optima quæque & verissima, siue horum siue illius fuerint, eliguntur. *Neg*, enim in unam aliquam sectam, vel hunc unum hominem omnia & semel contulit æterna benigni-

gnitas. B. D. Flachf. in app. de sect. phil. p. 172;
 suus quemque maneat honor, interim tamen
 semper meminerimus hujus verè aurei: ὅσον
 ὑπερβαῖν τὴν ἀλήθειαν, Arist. l. i. Eth. c. 4.

XIV. Regula cognitionis nostræ tertia est
Scriptura Sacra, quam hinc minus excludet,
 quisquis intellectum nostrum, spissis obductum
 nebulis, etiam in naturalibus ad multa cali-
 gare, tateri cogitur, adversus quæ scripturæ
 quoque liber remedia subministrat. *Quidam*
 aliquid demonstraturi, statim ad theologica
 fundamenta transfiliunt, totamque suam sci-
 entiam ex sacris petunt: *Alii* codicem sacrum
 penitus sequestrant, ejus lectione ne unius quie-
 dem rei notitiam addisci posse, contendentes:
 Utrumque in vitio ponitur: Media igitur via
 ingrediendum. Novimus omnino distincta esse
 naturam & scripturam, Philosophiam & The-
 ologiam. Constat siquidem id ex diversitate
 tam principiorum, quam objecti & finis. Ta-
 men observandum, quod, si *absolutè* conside-
 retur scriptura, pars ejus potior merè spiritualia
 continet; est *respectu eorum*, quæ ibidem
 vel naturalia vel moralia occurrunt, eam è
 principiis philosophiæ normantibus planè non
 posse excludi videretur. Multis enim abstrusis
 lucem affert in *contemplativis* maximam, cui
 vel ob Authoritatem dicentis quisquam se op-

ponere sequit, nisi quis, non sine blasphemia, creatoris de creatura testimonium falsitatis arguere præsumpserit. In iis vero quæ *praxin* intendunt, non video quomodo negligere possit Philosophus Christianus tot morum & virtutum præcepta ubique in sacris pandectis obvia, cum ibidem totius vitæ nostræ regula & verè viva lex in vita sua Christus, cujus vestigia sequi jubemur, conspiciendus sistatur. Ut utæam, quæ de societate & familia rectè instituenda salubriter monentur. De quibus in hunc modum differit Mejerus pag. Gnostol. 87. *Non inficiandum, scripturam quod, nonnunquam esse philosophiæ principium posse, ubi de rebus philosophicis aliquid continet, non tamen ut adequatum & proportionis, sed ut eminentiæ & dignitatis principium est accipiendum, idque ob veritatis diviniæ, quam continet eminentiam.* Ita vero probationibus è sacro petitis codice, philosopho utendum esse arbitror, ut probe caveatur; ne, sub specie religionis, quæ scripturis ritè intellectis minus contraria sunt, impugnet; quo immoderato zelo abreptos sæpè doctos homines absurdissimas defendisse sententias, historiæ perhibent.

DEO UNI & TRINO GLORIA!

